



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorum Evangelicorum D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundùm Ioannem

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

3. Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad me ipsum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39480

Dialog.
lib. 4. c. 35.

retributio in illa beatitudine non esset, una potius mansio quam multa essent. Mansio quippe cælestis non locum circumscriptum quo veluti certo ac definito animæ & corpora beatorum concludantur, sed requiem & gloriam beatis præparatam denotat. Hæc gloria quum non una sit, sed multæ: variæ quoque & disparæ necessariò erit. Sed & ipsa Caluini expositio hanc disparitatem probat. Quum enim idcirco multas esse mansiones Christus dixerit, ut doceret non sibi *omnibus etiam discipulis locum illic esse*, Christi autem mansionem à discipulorum mansionibus magna disparitate differre negari non possit, necessariò hæc multæ mansiones dispares quoque & diuersas significare debent. Ita Caluini euillatio tot Patrum consentienti expositioni præponderare non potest.

Mirretur fortè quispiam, cur ita proteruè doctissimi Patribus obstet Caluinus, ut ab illis omnibus perperam hunc locum tractum affirmer. Vidit doctrinam meritum & iustitiam ac retributionem bonorū operum ex hoc loco iura Patres intellecto necessariò stabiliri, suam autem imperitiam iustitiam (quæ nullam disparem retributionem patitur, quum Christi iustitia omnibus æqualiter imputetur) peritus subuerti. Hac de causa ausus fuit communem Patrum expositionem reiicere, & vnun suum friuolum argumentum omnium illorum iudicio anteponere. Hæc eius insolentia ac improbitas est.

3. *Etsi abiero, & preparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum.*

Limbus
Patrum
contra Cal-
uinum de-
fenditur.

Heb. 9.

Hoc iterum loco veterum Patrum sententiam ac fidem traxit Caluinus. Quum enim Christus hic doceat se deundo ad Patrem per corporis sui ascensionem & glorificationem, parare suis omnibus locū, quo & illi ad Patrem conscendant, & cælesti gloria fruantur, paretur autem hic locus Christo glorificato, quia ille omnibus ianuam cæli aperit, quod ante eum glorificatū nulla beata anima ingredi potest, quia (ut Caluinus hic agnoscit) ille *unicus heres cæli patris* nem nostro nomine adiit, ut per ipsum accessus nobis pateat, ut Apostolus docet, antequam Christus ingrederetur cæli sanctorum, nondum propalata erat sanctorum via, mouetur quaestio Caluinus, & ait. Exoritur tamen quaestio, quæ fuerit Patrum veteris testamenti conditio post mortem, quæ

quam Christus in cælum ascenderet. Vulgo enim colligunt, fideles animas in limbo fuisse inclusas: quia dicit Christus suo in cælum ascensu paratum iri locum. Vera est hæc collectio, & cõmunis Catholica Ecclesiæ & veterum Patrum sententia, vt alibi contra Calvinum ostendimus. Sed displicet illa huic nouatori, & collectionem firmissimam infirmare conatur. Sed responsio (inquit) facilis est, quod locus hic parari dicatur in diem resurrectionis. At hæc responsio nulla est. Christus quippe in diem resurrectionis parat beatissimum locum quoad corporum glorificationem. Animas tamẽ interea Dei visione frui post Christi ascensum, qua visione veteris testamenti Patres defuncti non fruebantur, huiusmodi præparationi non repugnat. Vnum igitur ex altero infirmari non potest, & quod concludit Calvinus, *utrisq; pariter*, tam Patribus olim defunctis quam iustis post Christi ascensionem ad alteram vitam translatis, *Christum parare locum in quem extremo die omnes recipiet*, huic discrimini nihil obstat, quo dicitur, Christo in cælum assumpto iustorum animas tam veterum Patrum quam aliorum post Christum in cælum assumi, & Dei visione frui, sed ante Christum in cælum assumptum Patrum animas in limbo detentatas, & Dei visione in cælesti gloria necdum gauisas fuisse. Queritur igitur à Caluino, quo tandem loco erant Patrum veteris testamenti animæ ante Christum glorificatum, postquam nec in cælo fuisse faretur ipse, nec in limbo fuisse cum Ecclesia Catholica fateri vult? Vidit hoc ab ipso necessario querendum. Ait igitur. *Ante reconciliationem peractam fideles animæ, velut in specula, erant intentæ ad redemptionem promissam: & nunc beata quiete fruuntur, usq; dum compleatur redemptio.* Erant (inquit) intentæ ad redemptionem promissam velut in specula. Verum quidem hoc est, sed vbi, in quo loco, in quibus receptaculis erant? Neque enim nusquam erant, si erant. Nec infinitæ sunt animæ, sicuti Deus est, vt idẽ vbiq; sint. Perpende igitur, lector Christiane, Calvinum pernicitiam. Agnoscit animas fideles nunc quidem beata quiete frui, usque dum compleatur redemptio, per corporum glorificationem: ante reconciliationem autem à Christo peractam, ad redemptionem promissam fuisse intentas, & illas veluti in specula expectasse: quod totum Catholica agnoscit Ecclesia. Sed in certo receptaculo, quod limbum Patrum vocauit antiquitas, illas hanc redemptionem expectasse proteruẽ negat. Ita nec locum ipse designat, nec agnitum ab Ecclesia locum recipit. Hæc est meta hominis

In Pröpt. Cath. parte Quadrag. fer. 5. hebdo 2.

Caluini proteruita reuincituta